PARAPHERNA VOTIVA

VIRO

Spectabili atque Prudentissimo,

DN. JOHANNI ZERNEKIO,

Scabino Suburbano & Mercatori

in Civitate Regia Thorun.

florentissimo,

Feliciter Nuptias ineunti

cum

VIRGINE

Omnibus elegantiis ac virtutibus probe exculta,

ANNA ELISABETHA,

VIRI

NOBILISSIMI atq; AMPLISSIMI,

DN. JOHANNIS NOGGEN.

Consulis Thorun. ac Camerarii gravissimi,

FILIA natu minima,

ipsa nuptiarum festivitate,

d. x. Septembr. An. CIϽ IϽCC IX.

oblata,

ab

RECT. PROF. & VISITAT.

Gymnas. Thor.

THORUNII,

Impressit JOANNES LUD. NICOLAI, NOB. SENATUS ET GYMNAS.

TYPOGRAPHUS.

CEssavere dies, quae summi gratia Jovae,
Deflendo luctu funeribusque graves.
Tandem venerunt nostris cedentia votis
Tempora, quae pellunt flebile mentis onus.
Inprimis, NOGGI, patriæ decus usque probatum,
Infestas fatum iam posuisse minas
Cernitur, auspicio Tibi fausto larga reducens
Perduraturæ semina laetitiæ.
Funestaeque faces abeunt & mortis imago,
Succedunt taedae, nuncia laeta boni.
Nam proba coniugio bene filia nupta locatur
Conspicuo multa iam pietate viro.
Alter is est, idemque prior Zerneckius, ante
Affinis gratus, nunc probus ipse gener.
Iunxit amor binis uno de sangvine natas
Fratribus, & iustum iussit adire torum.
Exemplum sequitur fratris laudabile frater,
Insequitur fratrem fratris & omne bonum.
Naturae inversas leges correxit, & ignes
Nunc, quos vitavit, coniugii subiit
Sponsus, & innocuo felix indulsit amori,
Et svaves somnos iungere complacuit.
O felix genero socer, & socero gener, & Tu
Quae virtute refers filia pulchra Patrem,
Fidi sic poteris semper gaudere mariti.
Dicite Pierides: Omnia fausta sient!

M. P. JAENICHIUS, RECT.

QUod fuerat summi nitidissima Patris imago
Adam primus homo, ast impar dominarier orbi
Solus erat, socio ni vinctus amore fuisset;
Hoc Pater ætherius divino lumine vidit,
Ex Costaque Viri præstantis condidit Evam,
Dicens, unanimi sitis duo corpora mente,
Felices, salvi vivatis tempus in omne,
Crescite, terrestrem soboles bona compleat orbem,
Et Vobis tellus constanter serviat omnis.
Tale genus vitæ Tibi fata secunda ministrant,
Sponse dicate DEO, consors Tibi *Sponsa* venusta,
Corporis ac animi præclaris dotibus aucta
Traditur in thalamos, de qua Tibi gratulor amplè,
Atque tuis tædis nunc & post prospera dico.
Acceleret Vobis benedictio diva quadrigis,
Donec erit Vobis ambobus vita superstes.
Sentiat esse virum conjux, titulisque Parentum
Illustret fœcunda domum sic vita duorum,
Istaque jucundo decurrat tramite semper.

Ita applaudit auspicatissimis nuptiis Spectab. Dni. Sponsi & Nobil. Sponsæ.

M. MARTINUS Böhm.

Sat citò, si sat bene.

COmmuniter verissimeque dicitur:
Satis citò, bene si sat. Equidem perpetim
Pro fine quælibet actio bonum:

Istud-

Istudque dum quis nactus est, satis citò
Egisse censetur, suam quòd rem bene
Gessit. Meretur illa laudes actio,
Quam finis ex voto coronat optimus;
Non illa, quæ solummodo cœpit benè,
Et prospero spem præter eventu caret.
Proverbio dictisque nostris si fides
Negetur, exemplo tamen *Zernekii*
Habebitur novissimo: qui nuptias
Serò quidem videtur apparare; sed
Si quispiam perpendat, aptiùs nihil
Quòd vinculo hoc sit conjugali; liberè
Fatebitur, nuptam esse Sponsam sat citò
Satque bene Sponso, ætate dispari quidem,
Sed gente, pergratisque moribus pari.
Celeber utrique Consularis ortus est;
Utrique par pietas & affluentia
Opum, domesticæque cura par rei.
Vtrique cordi est utilis concordia;
Damnosa sed neutri placet discordia.
Et ista, quæ Sponsis inest æqualitas
Gentis probatarumque consvetudinum
Spondere conjugium potest valde bonum:
Quod ut bonum manere concedat Deus
Usque ad beatum terminum vitæ, precor.

M. MARTINUS BERTLEFFIUS, P. P.